Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

PRÆFATIO
JOH. HENR. REITZII,
primæ editioni præfixa.

PLinius Junior *memoriæ prodit* l. 3. epist. 5. *Avunculum suum dicere solitum*, nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prosit. *Sisto Tibi B. L. Librum, in se quidem optimum, verùm cujus forsan faciei stylus & notæ nostræ, turpes notas insculpunt; sit autem ita, polluant nostræ animadversiones aureum Aaronis hujus cultum, non tamen lacerant, sed Tibi licet immundum, totum nihilominus sistunt; cujus, nisi nostris fuisset involutus notis, planè non factus fuisses particeps: Siquidem nolebat ipsum Bibliopola & Typographus typis exprimere, nisi notis quibusdam, tanquam ocellis acupictum, ut eò plus Lectorum oculos in se converteret, præprimis cum jam tot exemplaria per Literatorum orbem distracta sint. Vides ergò, quid boni nostræ notæ, etsi forsan in se obelo dignæ, præstent, ut verum sit etiam hâc ratione, quod dixit Plinius. Potuissem multo jure hoc Sisyphium saxum excutere, & pingendis illis ocellis abstinere, utpote qui conscius sum, quàm mihi sit curta supellex. Verùm cum duas utilitates exinde surgere viderem, 1. quòd, dum istum lapidem volverem, lacertos meos firmarem. 2. Quòd, ut dixi, notulis illis, velut fasciis involutus infans, Moses & Aaron in lucem prodire posset. Propterea Bibliopolæ annui. Non autem me ulla eruditionis opinio, velut utrem ventus, distendit, ut hâc*

impul-

impulsus gementi sub Liororum mole orbi meum fœtum obtruderem. Cucurbita enim essem, si mihi aures hominum, famæque januam his notis velut clave, studuissem aperire, & os populi meruisse, quum mihi timendum foret, ne aureo piscarer hamo, & pro gloria contemptus captaretur, proque sublato utroque pollice, exsibilans ostenderetur dens. Verum est; docti orbem Scriptis plerumque ob has rationes erudire satagunt. Vel I. ut dona sua communicent, & non sudario suo coarctent. II. Vel, ut, quia ipsis denegatur diu vivere, & angustis terminis concluduntur, relinquant aliquid, quô se vixisse testentur, *uti ait Plin. III. Vel quia inani opinionis avenâ pasti saturatiq;, κενεῆς οἰήσεως ἔμπλεον ἀσκόν, ne disrumpatur, evacuare volunt. Plurimi etiam, licet illud in præf. libr. à se amoliri tentent, plerumque tamen posteriori fine, suos ingenii fœtus communi usuræ exponunt.* Multi enim famam, conscientiam pauci verentur. *Ego verò nullis harum rationum inductus, neque ut alios doceam, neque ut fama mihi superstes esset, neque ut ego famæ, has notarum lacinias consui; sed illæ me impulêre rationes, quas diximus. Quid? quod ne nudum Mosen & Aaronem, aliquâ harum persuasus, Latina civitate donare voluerim, sed aliis rationibus, inter quas est, quòd opella nostra aliunde sollicitata sit; deinde, quòd* quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possint, intelligentiaque ex hoc & judicium acquiratur; *ut apprimè* Plinius l. 7. epist. 9. *Taceo alias rationes, quæ conscientiam meam coram Deo, cujus ad honorem dirigenda cuncta sunt, absolvunt.*

Quod

Quod attinet Versionem, lubens fateor me forsan aliquibus locis titubasse, & minus feliciter vertisse, & hoc inde. I. Quia subinde alicujus verba, quæ Autori aprica satis & resupinata sunt, Lectori minimè patent, unde fit, ut doctissimi sæpè se invicem non satis intelligant. Potuerunt ergo verba Autoris, ubi cæspitavi, obscura aut ambigua fuisse. II. Quia versio mea, & reliquum, eâdem facie, uti exiit à calamo manuque mea, typorum torcular subiit, adeò ut subtiliorem limam inter corrigendum non liceret adhibere, etsi δεύτεραι φροντίδες quædam notarent, quæ medelam implorabant, quùm id staret immenso Typographi labore. Verum quidem est, quòd multum temporis texenda hæc gracili hibisco fiscella absumpserit, ut possim illud à Gallo quodam mutuari; je n'ai pas dessein de faire grand bruit d' un petit ouvrage, qui a plus exigé de loisir, que d' esprit. *Sed etiamsi longiùs primâ vice æs polias, non tamen adeò coruscabit, ut non secundâ opus sit limâ, & multæ clariorem faciem intercipiant asperitates. Spero tamen has meas titubationes (quæ etiam Giganti & Argo possent subrepere, multò magis mihi pumilioni & talpæ) non æquare Thebarum portas, etsi superent Nili ostia. Quòd si deprehendis H. L. ubi aberravi, condonabis facilè, cùm præf. Versionis Belg. inspexeris, & perpenderis quòd loco paucorum errorum commissorum, centum alios expunxerim, dum pro tenuitate mea, vel ut Judæi dicere amant* לפי עניות דעתי *pro paupertate scientiæ meæ, sanavi luxata vocabula Hebr. & Græca, quorum vix tertia pars in utrisque exemplaribus Anglico & Belgicis duobus sana est. Ægrius tamen est exemplar*

Angl. siquidem Doctissimus Rev. D. Pœnii calamus plurima restituit, & omnia sanasset penitus, si correctioni interesse potuisset. Adjeci quoque puncta Hebr. ut expeditior esset lectio.

Quantum ad notas nostras, scio, non divino, multum Sardois Tibi amarius herbis & projectâ vilius algâ occursurum, sed à juvene vix maturi aut magni quid expectes. Tenuis corylus non fert juglandes. Quòd autem Cel. Coccei præprimis sententias & verba ubivis fermè inculcarim, alicubi in ipsis notis à me excusatum est. Sed ais, quòd notas meas aliorum plumis ornarim, alienoque superbiam cultu, ac timendum

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Hor. l. 1. ep. 3.

Resp. *Fateor me alios in auxilium vocasse, interim non potest mihi ob id dica scribi. Vehementer placet, quod ait* Heidanus *in præf. Orig. err.* Sicut in convivio cibi appositi, & panis in frusta sectus, non amplius sunt solius Heri, sed omnium invitatorum, quibus jus est, quantum lubet, de omnibus vesci, & quòd vult quisque, eligere. Ita & cogitationes & conceptus publico donati, non sunt illius solius, qui istos invenit primùm, sed omnium communes, & quos proprios facere cuique licet, cui ascisscere placet. Cur enim illos publicos esse voluit, nisi ut omnium essent. *Nec tamen, etsi pauperrimum sit, adeò mancipavimus alienis Heris ingenium, ut non nisi ab illis secta panis frusta emendicare & omnes plumas (absit invidia dictis)*

ctis) bonis istis avibus evellere debuerimus. Subinde enim ex propria, squalida licet & angusta, theca conceptus quosdam deprompsimus, quos ex deteriore aspectu colliges esse nostros, prodet enim embryo matrem sterilem. Nolo autem meis hariolationibus juvenili ingenio enatis λευκὴν ψῆφον *adjicias*, recuso Euge Tuum, & Bellè Tuum! *ut Satyricus ait. Respuo Tuum* σοφῶς, καλῶς! Si fortè quid aptius exit. *Vel etiam contra*

Si me vel rigidi legant Catones

vel mordaces Aristarchi, non tangar, & licet me exsibilent, obliquoque dente sugillent, non movebor; æneum hac in re mihi pectus est. Stoicum & Gallorum ventrem habeo, amaram etiam dicteriorum myrrham (si ita fari licet) & venenatam linguam concoquere possum. Ipsum me ridere possum, quòd cothurnatus in Mundi Theatrum prodeam.

Quod ad stylum autem, & relicta σφάλματα: *Ille Latiæ delicatæque linguæ flosculis non luxuriat, nec ad Ciceronum Palatum erit; nec etiam potuimus, dum arabamus hunc agrum, attendentes solummodò ad id, ne curvos scinderemus sulcos, & ut, quicquid tribulorum, defuncto vero ruris hujus domino, in eo eruperat, stivâ nostrâ subverteremus; non, inquam, potuimus agellum istum floribus conserere, nisi cultum externum, quam ipsos fructus & internam formam observare maluissemus. Plura autem opinione nostrâ subrepsêre* σφάλματα, *quibus, quum enormia esse non sperem, quivis facile stylo mederi potest. Quòd verò inter corrigendum remanserint errores, hinc factum, quia, quùm mihi notissima essent vocabula, obiter & obliquo quasi lumine illa aspexi corri-*

gens, sicque externo sensu legi, quemadmodum animalis spiritus in cerebro ea pinxerat. Quare ipse Typographus subinde mendas quasdam eradicavit, quas ipsum longus usus docuerat; & quibus falx mea pepercerat. Sæpiuscule etiam Hebr. vocum ventres aut impregnati erunt puncto dagesch, citra necessitatem, aut eo destituti, cum id desiderent. Eodem morbo laborabunt quædam voces Græcæ circa accentus & spiritus, verùm harum fermè nullus erit numerus. Sed hoc neque mihi neque typographo imputandum est, sed ipsis longo usu attritis, & antiquitate erosis typis, qui interdum in prima impressione, quam corrigebam, tegebant punctum, quod in aliis impressionibus emersit; aut in loco, ubi aliquod punctum esse debuit, punctum ostendebant, quod vel nothum fuit, vel in posterioribus impressionibus se rursum occuluit. Quòd si totæ voces Hebr. & Græcæ errore implexæ sint, dabis hoc fiduciæ meæ, quàm posui in typographo, siquidem is adeò benè scivit Hebr. & Græc. ponere literas, ut vix unquam delinqueret in minimis κεραίαις, unde factum, ut nimium ipsi confisus fuerim.

Mendæ, quas subnexui sanandas, nolim putes, quod exhauriant omnem errorum numerum, qui librum occupant; Totum enim eum, cum jam ex utero preli, suis laboribus ingemiscentis, absolutus exiisset, non relegi, ut minutulas quasve maculas aut defectus faciei notarem, sed tantùm huc illuc immisi oculos inquisitores, qui, si obvium haberent vitium, nigrum ei theta præfigerent. Quæ ergo ita hinc inde observavi errata, apposui.

Unicum restat, de quo monendum Te, B. L. duco, scil. me Lib. V. Cap. VIII. & forsan alibi, non vertisse juxta verba

verba Autoris, sed juxta interpretationem & verba Coccei, cujus fama volat per ora virûm Doctorum in Tota Europa.

Quod si Tibi hæc nostra non erunt fastidio, Exemplaribus distractis alias maturiores melioresque, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, aliquando curabimus versionem & notas.

Hæc sunt, quæ præfari me oportuit, Teque scire, ne in nos Tuo πρόκειμαι irrueres. Vale & fave opellæ

Bremæ Anno 1679.

J.H.R. Palatini.

PRÆFATIO

In quintam hanc Goodwini Editionem Bremensem.

QUùm Exemplaribus prioris Editionis iterum distractis *Bibliopola P.G. Saurman* in animum induxerit *Antiquitatum Hebraicarum Studiosis* denuò de *Goodwino* nostro prospicere, à me petiit, ut si quid notarum penes me reliquum esset, adjicerem, unaque mendas tollerem, quas quarta Editio præteriisset. Tametsi enim *Vir Eruditissimus H. B. S.* eximiam operam isti Editioni impendit, haud tamen omnes alieni laboris vel defectus vel errores sarcire potuit. Quapropter non tantùm hîc videas (quod pollicitus fui *in primæ Editionis præfatione*) versionem & no-

tas nostras subinde castigatas, & vel ad probiorem latinitatem, vel ad propiorem veritatem redactas, sed & novas adjectas, quas vel prioribus inserui, vel asterisco * vel signo † à cæteris ut internoscas feci. Quæ verò vel adulterata vel luxata vel prorsus omissa, eaque haud parvo numero fuêre, hîc habes sanata & restituta. Minimè tamen affirmârim, cuncta nunc ita esse comparata, ut novâ limâ inversóque stylo non sit opus. Nam videmus in ætate provectiore, ubi cespitaverimus juvenes. Emisi enim primam Editionem Bremæ, cùm in illustri isto Athenæo literis operam dabam, idque eô fine, ut in istiusmodi antiquitatibus pernoscendis proficerem, non verò ut *magnam* nominis *famam* venarer; quam tamen ex ista *Goodwini ut & Prudentiæ Ecclesiasticæ editione* comparasse me ille *Altdorfinus S. S. Th. & L. L. O. O. P. P. Zeltner* in sua *de novis Bibl. versionibus Germanicis dissertatione*, refert, eandem licet ibidem vehementer conspurcatum iens. In ea enim Dissertatione, præterquàm quòd apertissima multipliciaque Historica falsa narrat, & piæ novitatis, seu in cognitione incrementi odium *Matth.* 13:52. sectæque ac τῶν πατεικῶν φρονημάτων, nec non Pontificiæ tyrannidis studium prodit (vult enim omnes Bibliopolas atque typographos juramento, pœnâque constitutâ, adstringi ad id omne supprimendum, quod Lutherum, aut potius Zeltnerum non sapit) cunctasque *Piscatoris*,

toris, *Polani*, aliorumque Reformatorum versiones vel editiones Bibl. Germanicas, pro antiquo more, damnat, nîl nisi nomen & errores Lutheri exosculans & modò non adorans, mihi imprimis insultare, & *malæ conscientiæ*, *quâ*, ut ait, NB. *fortassis pervertere interdum Dei sententiam in interpretatione* & versione N. T. *voluerim*, nec non *Socinianismi* notam temerè affricare non dubitat. Quibus criminationibus nihil pejus dici potest. Id quod tamen ei facillimè condono, memor, me quoque olim ad adspergendam aliis levi de causa Hæreseos labem accinctum fuisse. Quàm procul autem à Socinianismo absim, luculentissimè testatur cùm ista mea *N. T. versio* compluribus locis, tùm etiam scriptum meum novissimum *de Imitatione J. C.* nec non complures in *Goodwino* nostro notæ de *Sacrificio* & *Deitate J. C.* quas in hac quinta Editione intactas sisto. Simulque Deum rogo, ut D. Zeltneri animum, inter rubos dumosque hærentem, liberet, conversumque ad sese θεοδίδακτον reddat, quô quid faxit, scribat ac dicat, norit ipsus; illudque, quod in me aliosve contorsit falsi testimonii, eidem remittat in Filii sui J. C. τȣ̃ ἀληθινȣ̃ θεȣ̃ sanguine, quem effudit pro Mundi peccatis ad propitiandum conciliandumque nobis Patrem!

Veruntamen ut is ipse videat, quàm egregiè amet errare cum Luthero suo (liceat mihi hoc dicere de isto insigni ἐκλογῆς contra Papatum

Σκεύει)

Σκεύει) contemplemur propius versionem utriusque nostrûm, *Matth.* 12: 34. *Luc.* 6: 45. quam D. Zeltner in exemplum adducit; tùm etiam Lutheri rationes. Postquam ergo Hic nomine & *Encomio Asinorum*, applaudente Zeltnero, omnes eos ornârat, qui verba Christi ἐκ τȣ̃ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ, transferunt, aus dem Uberfluß des Hertzens redet der Mund / subdit has ratiunculas: *Istuc non Germanicum neque plebi scitum esse, nisi quis eâ locutione dicere velit, quendam cor justo majus aut nimium cordis habere; quin ne quidem ita loqui, Germanicæ linguæ par esse, non mage, ac si dicas, abundantiam domûs, abundantiam fornacis testaceæ, abundantiam scamni*, scil. pro domo, fornace, scamno justo majoribus. In quæ verba diversè animadvertendum esse puto. (1) Πρῶτον ψεῦδος est, quo tota *Dissertatio* nititur, Spiritum S. ubivis loqui cum Hebræorum vulgo & fœminis, h. e. per Hebraismos omnibus Hebræis notos, nec habere peculiares diviniores-que vastissimæ significationis idiotismos, quos idcircò retinere in Versionibus oporteat. Istud enim si verum esset, quis dubitet, τὰ λόγια τȣ̃ θεȣ̃ doctissimis Rabbinistis esse dilucidissima? hosque interpretes felicissimos? (2) Quòd si verò Spiritûs S. idiotismi, ad illius linguæ idiotismos, in quam transferimus, flectendi forent, tùm Apostoli & LXX. debuissent abdicatis Hebraismis, seu Spiritûs S. idiotismis, Græcismos substituisse; At ubivis in ista translatione Græca

ca maluerunt Sanctæ linguæ idiotismos retinere, quanquam ad nauseam Politiano similium Doctorum, qui Græcismis & linguæ Græcæ puritate & claritate magis afficiuntur. (3) Num autem verba versionis meæ non sint Germanica, nec sensus eorum planus, etsi Lutheri verba vulgariora; rursus num in meis à Sp. S. repetitis, an in Lutheri tralatitiis verbis sensus locupletior se pandat, omnium Germanorum piorumque virorum judicio relinquo. (4) Quid quòd etiam illud Asinorum encomium (in quo genere laudum Abundantia Lutheri vel ipso D. Zeltnero teste, justo major fuit) in Translatores Belgas, Zeltnero præ cæteris laudatos, redundat? qui Sp. S. l. c. verbotenus imitantur, non habitâ vulgaris loquelæ ratione? Nam cùm juxta D. Zeltneri dictamen debuissent cum vulgo Batavo dixisse; *Waer van het hert vol is, daervan loopt den mont over*, barbarè fari malunt, *uit den overvloet des herten spreekt den mont.* (5) Et dic mihi, quæso, annon parùm appositè parumque logicè Lutherus *cor scamno* &c. conferat? inquiens; Uberfluß des Hertzens ist kein Teutsch / so wenig als Uberfluß des Hauses / des Kachelofens / der Banck; quasi verò Sp. S. τὸ πλήρωμα, τὸ περίσσευμα, *plenitudinem, abundantiam*, sensu composito referat ad *cor* ipsum, aut ad cordis substantiam, & non adapertis verbis ad *thesaurum*, qui in corde, tanquam ταμείῳ καὶ ἀποθήκῃ reperitur. *Luc.* 6: 45. Taceo (6)

quòd

quòd Lutherus eâdem ratione omnes interpretes Latinos hîc carpat, eò quod vocabulum *Cor.* h. l. retinentes, linguæ Latinæ puritatem incestent, Latinisque obscurè loquantur, cùm *animum* dicere oportuisset. (7) At quàm parùm sibi ipsi in loquendo constet vir alioquin Illuminatissimus, omnibus iis constat, qui non sunt cœci ipsius admiratores, quique libros ejusdem liberâ mente versârunt. Itaque si lubeat cavillari, dixerim, versionem Lutheri Rom. XI. 25. (ut taceam sexcenta alia loca) biß die Fülle der Heyden eingegangen / non esse Germanicam? quid enim est Fülle der Heyden? vultne Gentium penum aut thesaurum dicere? aut collectam earundem vindemiam? aut Gentes ebrias ac plenas? nam vulgus & fœminæ ipsum non assequuntur. Oportuisset igitur pro vernaculæ nostræ genio, & cum matribus familiâs, dixisse; biß die volle oder gantze Menge der Völcker / oder die volle Heydenschafft / eingegangen / oder eingehet. Hinc & ipse *Gen.* 48: 19. מלא הגוים *plenitudinem gentium* non reddidit, **Fülle der Heyden** / sed, ein groß Volck / quamvis sensu attenuato; & *vers.* 12. Rom. XI. τὸ πλήρωμα αὐτῶν, interpretatur, **wenn ihre Zahl voll würde** / licèt & hoc sinistrè.

Verùm enim verò hic finio, ne videar plenam hoc loco apologiam velle instituere pro versionibus, quæ idiotismos vernaculæ sæpè ut negligant necesse ducunt. Duo saltem adhuc

moneo,

moneo, nim: Ex dictis ad oculum clarere; *primò* proverbii Latini veritatem; Manticas non videre quid in tergo sit; *secundò*, quid porrò probi à D. Zeltnero expectari possit, donec *faciem hominis accipit*, & post *Bestiam* seu *hominum multitudinem abit & miratur?* ut ita cum Spiritu S. gravissimè etiamsi Latinis auribus barbarè loquar. Vale B.L. & fave laboribus

Scrib. *Terburgi Gelrorum* d. 29. Aug. A. MDCCIX.

Joh. Henr. Reitzii.

PRÆFATIO
HERMANNI WITSII
Editioni Belgicæ præmissa.

Lectori Benevolo

S.

QUantum emolumenti *Hebraicarum Antiquitatum* peritia ad intelligendas utriusque Testamenti tabulas adferat, ii soli ignorare possunt, qui neutris scrutandis suam unquam impenderunt di-

ligentiam. Inter ingentia beneficia, quibus Divini Numinis benignitas seculum hoc nostrum auxit atque ornavit, infimo nequaquam loco censeri debet ea præstantissimorum virorum industria, quæ tot nobis antiqua, paucisque olim, etiam eruditissimis hominibus cognita, eruderavit, & in publicam lucem protraxit. Indignos nos oppidò tantâ Dei beneficentiâ præberemus, nisi & ipsi laudatissimis illis insisteremus vestigiis, vel saltem ab aliis monstrata in nostrum sedulò converteremus usum. Non videtur, præsertim uti nunc sunt tempora, Theologi nomen sustinere posse, qui non Hebraice doctus, sacræ gentis terram, instituta, mores ritusque in explorato habeat; non eos solùm, quos populo suo præscripsit Deus, sed & quos de suo ipsi addiderunt, sive pravâ vicinarum gentium æmulatione, sive genio superstitionis, sponte suâ ad rerum inania vergentis. Ad quæ tamen sæpiùs alludi videas. Non lubet nobis eorum improbare diligentiam, qui veteres Græcorum ac Romanorum res magnâ accuratione exposuerunt. Indidem quoque aliquid hau-

hauriri poteſt, quod illuſtrandæ ſacræ paginæ faciat. Cæterùm id exiguum admodum eſt, ſi cum illo conferatur lumine, quod vetuſta Hebræorum monumenta, etiam aliud agentia, attendentibus fœnerantur. Eorum enim Rempublicam quum formaverit ipſe Deus, eorumque ſermone utatur; & quum iis erudiendis principe loco deſtinatæ fuerint Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum conciones, in ipſorum quoque terra habitæ; mirum non eſt, ſi multa quandoque occurrant, quorum explicationem fruſtra alibi, quam ex ipſorum ſcriptis petas. Tot illud, tamque luculentis exemplis à doctiſſimis hominibus demonſtratum eſt, & quotidiana omnium experientia comprobatur, mera ut mora ſit huic obſervationi prolixiùs inſiſtere. Atque hæc me res movit, ut iis, qui operam mihi dant, Sacrarum literarum ſtudioſis, non perfunctorie *Hebraicarum Antiquitatum* ſcrutinium frequenter commendaverim. Neque officio meo meo ſatisfacturum autumavi, niſi meam quoque ad eam rem manuductionem offerrem, ipſoque facto præſtarem. Multum

tum enim vero pubes nostra Academica debet scriptis & vivæ institutioni Clarissimi Viri, JOHANNIS LEUSDEN, Collegæ mei conjunctissimi, & Philologi Celeberrimi: cui ipse quoque meæ in his literis eruditionis, si qua est, haut contemnendam partem ex antiqua formula Lubens Meritoque acceptam fero. Tantum mihi de cætero negotiorum domi est, ut de falce in alienam messem mittenda vix deliberandi tempus supersit. Sed adeo *Theologiæ* ac *Philologiæ* sacræ studia innexa sibi sunt, ut neque hoc sine illo, neque illud sine hoc, tractari commodè possit. Sic altera alterius

Poscit opem res, & conspirat amice.

Non tam feliciter Philologum ageret Clarissimus *Leusdenus*, nisi Theologiæ scientiâ excultam haberet mentem. Nec ego Theologi numeros, ut par est, explerem, nisi Philologiæ face Auditoribus meis quandoque prægestatâ. Quod pro sua humanitate, eaque quæ inter nos viget amicitia, non invisurum mihi virum optimum, sat scio. Initio quidem liberiori spatio per hunc campum decurri; &

in

in recitationibus tam publicis, quam privatis, ductum Evangeliorum sequens, eà ex Hebræorum commentariis protuli, quibus lux aliqua Historiæ Novi Testamenti adfulgeret. Deinde, quum nonnulli ex Auditoribus meis, quibus plurimum indulgere soleo, instituto suo convenientius esse indicarent, si paullò adstrictiori ordine procederem, præsertim in Scholis domesticis, ut & ipsi privata lectione se ad materiam, quæ tractanda veniebat, præparare possent; religioni mihi fuit votis ipsorum non obsequi. Agi itaque cœptum est de Libro aliquo huic fini seligendo: multisque aliis, quorum laudibus nemo quidquam detrectare volebat, prælatus est THOMÆ GOODWINI MOSES & AARON. In quo rerum ubertas & dictionis brevitas de palma certant. Ubertas quidem tanta, ut haut jure queraris multa esse præterita: & brevitas tam concisa, ut & exiguo tempore multa expediri possint, & amplificationi atque illustrationi non sit prærepta materies. Cæterùm vix orsi eramus has exercitationes, quin deprehenderetur Exemplarium defe-

ctus; neque inveniebant studiosi in officinis nostris unde prospicere sibi quirent. Commodum itaque se obtulit *Balthasar Lobe*, Bibliopola industrius, ita rerum suarum satagens, ut & publicæ literarum utilitati inserviat: & in se novæ editionis curam suscepit. Pollicitus se daturum, quæ chartæ puritate, typorum elegantiâ, characterum varietate, mendorum paucitate, cæteras omnes longo post se intervallo relinqueret. Quod & præstitisse eum confido: adhibito ad hanc rem non perito solum correctore, sed & erudito rerum arbitro. Denique ne quid pulchritudini editionis deesset, aut lectoris commoditatem moraretur, videbis capita in minores quasdam sectiones distincta esse; ex quibus quæ partitim & singulatim pertractantur facilius erit cognoscere. Illustris SALMASIUS, cujus

uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & major collectis viribus exit,

in *Prolegomenis* suis *ad Solinum*, prolixè ostendit, Veterum codices ad eum modum editos non fuisse; sed unâ serie, quam nulla

nulla ſectio interrumperet, contextos ac continuatos: ante autem annos mille & citra, præcipue invaluiſſe hanc conſuetudinem apud Græcos & Latinos Scriptores, ut libros in varia τμήματα partiantur. Neque impetrare ab animo ſuo poteſt, quin iraſcatur *fatali illi deſidiæ quæ hodie in literis regnat, ut nullus probetur liber qui non ſit per minutias capitum & titulorum fractus atque conciſus.* Sed, quod pace Viri Maximi dictum ſit, ego non omnes, non pleraſque Veterum conſuetudines, Recentiorum inventis anteponendas eſſe exiſtimo. Multa ex antiquitate rudia polivit ſequens ætas; atque omnium, niſi fallor, experientia hodie comperitur, haut paullò minori moleſtiâ diſtingui materias de quibus agitur, reperiri etiam ea quæ quis quærit, ſi ſuis ſingula veluti areolis quibusdam diſcreta ſint. Nunquid ad lectionis & facilitatem & accurationem plurimum confert ea quæ nunc obtinet periodorum per cola commataque diſtinctio; præterquam ſi unò tenore cuncta, ſine id genus notis, uti antiquitus, ſcripta forent? Idem de majoribus his partitionibus judicium

esto. Quarum institutum vix est, ut displicere possit, nisi iis quorum scribendi genus, per confusaneam indigestarum rerum copiam, ejusmodi partitiones non admittit. Ad hæc propter viam dicta sunto.

Ad GODWINUM nostrum redeo. Quem notis suis illustrare, & quandoque castigare aggressus est vir doctissimus, *Johannes Henricus Reitzius*. Eas hic integras videbit Lector: cujus arbitrio per me quidem stabunt cadentve. Uti enim meo haut indigent elogio; ita nec est quod censuram meam metuant. Clarissimo *Coccejo* se pleraque debere, & ad ejus mentem omnia fere esse composita, ne ipse quidem Auctor abnuerit. Mihi in exponendo GODWINO modesta libertate uti placuit; ut quandoque sententiam ejus confirmarem, quandoque ea substituerem quæ certiora & firmiora esse rebar; aliquando etiam supplerem quæ deesse videbantur. Ubi illud quidem primo loco mirari animum meum subiit, quod, formam Reipublicæ Hebraicæ enarraturus, magnum illud caput de THEOCRATIA ISRAELITA-

RUM

RUM prorsus omiserit. Cui defectui ut aliquo saltem modo subveniretur, non inconsultum duxi, præfigere Sermonem Academicum, super divino isthoc regimine à me habitum, Anno MDCLXXXVII. Die XVII. Mart. quando fasces Academicos tradebam Clarissimo Jurisconsulto & Antecessori, JOHANNI à MUIDEN. Deprehendi etiam, Libri primi caput octavum, inscriptione sua aliquid de RECHABITIS polliceri; de quibus tamen vix quidquam ibi invenitur. Hinc nata mihi de iis *Dissertatio*, quam hic quoque exhiberi, dividiæ, ut spero, Lectori non erit. Quæ fusius aliquando de selectis materiis commentatus sum, sine ulla ad GODWINUM relatione, ea, si vitam & valetudinem concesserit Deus, faxo ut brevi cum Studiosis nostris communicentur. Vale, mi Lector, & conatibus meis, ad nullius injuriam, ad juventutis nobis commissæ commodum unicè spectantibus, favere perge. Scribebam Ultrajecti. Prid. Id. Aug. Anno Æræ Vulgaris MDCXC.

HERMANNI WITSII

ORATIO DE THEOCRATIA ISRAELITARUM.

SUMMARIUM.

I. ORationis occasio. II. Generosi animi est à minutiis rerum terrenarum ad Divina & cœlestia adscendere. III. Israelitarum Respublica Theocratia dici meretur. IV. Deum universi Regem esse, omnes & omnia experiuntur. V. At speciale Regnum formavit in populo Israelitico, quem magnis sibi prodigiis vindicavit. VI. Dignisque Rege & populo conditionibus in fidem ac clientelam suam suscepit. VII. Mox Regem agere cœpit, latis legibus. VIII. Super quibus fœdus cum populo, omni ceremoniarum solennitate, sanxit. IX. Statimq; Regium sibi jussit instrui Tabernaculum. X. Ne qua parte Orientis Regibus videretur inferior. XI. Pro Ministris sumpsit Sacerdotes Aaronidas, cum Levitarum famulitio. XII. Ubi ex decoro tantæ Majestatis composita fuerunt omnia. XIII. Sic ut Regii cujusdam domicilii apparatum magnificenter præ se ferrent. XIV. Qua tamen pompa neque indiget, neque afficitur. XV. Omnes

Regii